

Epithalamion in honorem
generosi et illvstris dn:
d: Christierni Horn,
libe...

Frederus, Johannes

1 Ic 1587 Horn/Bielke



National Library
of Sweden

89
V. 1. 1. 1.

EPITHALAMION
 IN HONOREM
 GENEROSI ET ILLUSTRIS
 DN: D: CHRISTIERNI HORN,
 Liberi Baronis ab Aminna, &c. Sponsi, & antiquæ
 inclytæq; nobilitatis CATHARINÆ
 BIELKIÆ, virginis lectissi-
 mæ, Sponsæ.



STOCKHOLMIÆ
 Imprimebat Andreas Gutterwitz
 Anno 1587.



Car. III. 85

84
Splendida magnanimæ Suecorum gloria gentis
Magna mente Baro præstans, de nomine Christi
Magnum nomen habens & de prædiuite cornu,
Coniugij illustrem sibi iungit fœdere Sponsam,
Quæ decus est patriæ, flos flore nitentior omni,
Egregias inter fulgens pulcherrima Nymphas,
Eximio generosa piæ CATHARINA nitore
Ornamenta gereus fidei castiq; pudoris.

Ergo Pierides gratantia sumite plectra,
Et Sponso faciles tali, qui vestra secutus
Cæstra tot est annos, suaues componite versus.

Sic ego: mox ERATIO Musarum nomine fatur:
Texuimus quondam nos carmen amabile Peleô,
Cum Thetidi Nereus thalami sacra festa parauit;
Huic magis ergo piæ lætæq; precabimur omnes
Omnia fausta, tori pariter sacra iura canentes.

Coniugium suprema Dei sapientia sanxit:
Vnde velut de fonte homines in luminis auras
Proueniunt, alijsq; alijs morientibus extant,
Qui seruire Deo possint, patriæq; saluti.

Hæc vita ratio Diuina mente profecta est
Laude uehenda pijs, quæ iure probabitur omni,
Legitimè caram qui vult progignere prolem.

Præcipuè verò magnis Heroibus, amplo
Est decori seruata Dei lex, vinclaq; tædæ
Vnde sibi dulces præclaro munere Diuûm
Hæredes videant generoso semine nasci.

A 2

Ergo

Ergo Deo gratum facis & facis utile spiri
SPONSE quod associas tibi iusto tramite sponsam
SPONSE tua pietate, fide, virtute celebris
O generose BARO prælustri pectore pollens,
Indoleq; heros, facunde & flumine lingue,
Consortem Pylios tibi Christus seruet in annos,
Stemmata prælustri generosa mente nitentem
Omnia cui CHARITES certatim munera donant.

Ecce tibi læto iam rident omnia vultu,
Nubila diffugiunt tellus violasq; rosasq;
Sufficit, & felix hilarem dat Suecia plausum.

Vna fides vobis, amor vnus, & vna voluntas
Dulcia felici producant gaudia seculo,
Vixit vt Acesti coniunctus Thessalus heros,
Hypsiratea suo Heroi, Cornelia Gracho.

Cingitur vt vitis circum florentibus vuis,
Vt fecunda oleæ pingui plantaria campo
Pubescunt: soboles ita surgat & agmine dulci
Vestræ circuitum mensæ decoretq; hilaretq;
Quæ vigeat felix felici sydere nata.

Talia sponse tibi Musarum vota placebunt:
Quas bonus ingenio quoq; si complexus amore
Munificè fueris, veluti pia gratia suadet,
Et velut Heroem decet, & promissa requirunt,
Laus tua semper erit, semper tua gloria viuet.

IOHANNES FREDERVS.

ALIVD.



Xoptata diu rutilo lux aurea cælo
Impendens, sperata dies votisq; petita,
Iam tandem mihi superum aspirante favore
Illuxit, Febris quinto cum claruit axe
Phœbus equis, rapidus celsi deuectus Olympi,
Sidereis, curruq; leui, fortiss: Heros
Heroumq; decus, nomen de nomine Christi
Cui tribuit genitor nature pronidus altæ
Index: scilicet hac præstanti corpore Nympham,
Qua sibi delectam de multis iungit amore
Vnam legitimo suavis thalamiq; decoras
(Turma nobilium grandi comitante Baronum,
Ordinis insigni & pompa insignitus equestri)
Magnifico accelerat, clarissimus apparatu,
Cum consorte tori tædas intrare iugales.

Hæc cum fama refert volitans verumq; tenorem
Auribus excipio, tum nuncia litera nostræ
Appulit, inuitans Illustris Principis aulam.
Cumq; animo voluens intenta mente rependo
Gaudia magnifici Herois summiq; patroni,
Qui nos qui Musas tanto dignatus honore,
Ritè mihi Musisq; adeo qui possit haberi
Mecænas, quin has flagrans veneratur & ornat;
Castalidum quis amore prior, quis sæpius illo
Aonidum viditq; chorum & Parnassidos vndas?
Aurea quis nescit quoties tibi munera, Pallas,

Obtulerat, dulcis quoties tibi myrrha repletis
Corbibus hoc suauem præbente effudit odorem,
Thura tuisq; focis quoties fragrantia visus,
Cynthius ante tibi Eois quam emergitur vndis,
Ponere, dona tuis quoties solennia templis,
Sæpius vndantes sacris quoq; pinguibus aras,
Grata Dijs solitus miscere incendia fumis,
Ante aliosq; tui mirè studiosus amore
Pallentes nitidis noctes æquare diebus?

Hæc sed plura quoq; his tua sunt data munera Musis
Cælicolis Baro præcellens virtute fideq;
Verum qua solitus sis me bonitate clientem
Excipere exiguum, & dubijs prodesse ferendo
Rebus opem & vero quo me digneris amore
Quid referam? (facturus id olim) dicere tempus
Nec mihi, nec licuit fines transire Hymenæj.

Ergo ingratus ero tantæ bonitatis vt vlla
Gratia pro tanti merito reddetur honore
Hæsis, Musæq; adeo Charitesq; decentes
(Officij quarum est meritis bona reddere factis,
Gratie & hinc tribuatur ab his quia gratia dicta)
Numne sui præstantis neglexere patroni,
Atq; sui Mecænatis solennia vitent?
Quin facti immemores ne sint mortalibus ipse
Dictant ingratosq; ferunt cane peius & angue.
Absit hoc ergo procul, gratiss: Numina Diuum
Vt quis (grande nefas) ingrato nomine dicat.
Sed nec ego inuitus potius sed sponte paratus

Prompta

86

Prompta suis modulis genialis carmina lecti
Promere, sed vix ausa loqui rei Maestate
Territa Musa. Etenim tenui quis carminis ore
Audeat Heroum præstantes dicere laudes,
Ausonij sermonis Principis ore ferendas,
Attica vel compta est largæ cui gratia linguæ,
Et facunda chelis. Nam hoc postulat inlyta virtus
Heroum simul hoc sibi sacra Hymenæia poscunt,
Hocq; sacris superi infensi in contraria tædis.

Hæc mecum versans subito ceu victa sopore
Lumina, & ancipitem stimulans mihi cura dolorem
Attulit, insuetog; ferit mihi corda timore,
Non secus ac dubio cum puppis in æquore fertur,
Nescius utq; ratem mœstus dum nauita curuam
Torquet & ignorans qua sint loca tuta petenda,
Littora sollicito clauo spumantia vertit.

Nec mora, discusso pandentia lumina somno,
Intueor coram laxis intentus ocellis,
Ecce mihi forma visa est pulcherrima Nympha,
Ambrosijs fragrans, adeo specieq; venusta,
Candidulo toto (mirandum) corpore fulgens,
Coccina lacteolasq; genas cui purpura pingit.
Virgineo desigentes vestigia vultu
Ducentesq; manu Nympham hanc vtring; verenda:
Ponè sequebantur binæ candentibus astris
Splendidiora quibus sunt lucida lumina cælo:
Omnibus eximio, nitor incredibilis vnus,
Ore sedet, placidus faciem, pudor omnibus vnus:

Omnes

Omnes purpurea & proluxa veste verende:
Me cumq; appropierant placidoq; insistere gressu
Territus aspicio, vix lumina tollere vultus
Ausus & attonitos validus vix corporis artus
Ferre (etenim faceres, cernes si Numina Diuum,
Quæso quid? at blandè (blanda vt sunt omnia Musis
Æthereis) mites quæ sic tunc ora resolunt,
Quid dubitans mæsto miseræ sub pectore curas,
Attonitus tristisq; sedens tua viscera torques?
Quin cessas? quin te melioribus instrue votis
Atq; animos infringe tuos teq; eripe mole
Curarum, quid te maceras? quid talia versas?
Sume animos, non te quoquam pia turba sororum
Tempore despectum repulit, nec in aëra missos
Conatus rediisse tuos, tu dicere possis.
Quin potius quo te studio dignentur alumnus,
Qua pietate fideq; fouent, tibi munera donent
Qualia, nota tibi, nam grate ante omnia Musæ.
Quinne igitur suetas modulentur cymbala voces:
Quin tibi blanda chelis suauis modulamine cantus
Exultet, cytharis moueas quin pleetra sonoris?
Iamq; moderna; toros celebrent pia carmina sacros,
Magnifici Herois celeberrimæ & Heroine,
Tempora deposcunt; merita officiosa patroni
Larga tibi atq; adeo Cyrrhæis præstata Musis.
Tunc ego quæ castas decuit reuerentia Musas,
Curis persolui missis, ac fronte serena
Reddere promptus eram Musarum talia dictis.

Thespiades

39

Theſpiades cultæq; Deæ, mea cura laborq;
Gratæ concordęq; Deæ, tria Numina Diuum,
Non ego non gratus, nec gratia perdita Muſis
Debita ſed qua decet noſtras Verecundia Muſas,
Atq; pudor, veritus: ſed nunc vbi Numina poſcunt,
Quæ faciendæ volunt faciles nos omnia fungi
Ipſorum ad nutum dictoq; celerius ipſo
(Namq; ſua eſt tribuendæ ſacris reuerentia Diuis)
Efficere iſta libet, quin hæc non noſtra ſed ipſis
(Nam ſine fruſtranea eſt, hominum ſolertia Diuis)
Aſcribendum opus eſt quod nota de meliori
Noſtris fertur & eſt animis manibusq; patratum.
Finieram vix cum nutu mihi Numen amico
Annuit, & denſum tum ſemet in aëra condit,
Sicq; vale dicto tunc noſtra luce recedunt.
En ſubitò exultans grauib; curiſq; ſolutus,
Haud ſecus atq; reus duro dum compede vinculus
Euafit miſer, & morbo vexatus acerbo
Læta refert geſtit nitidumq; vbi corda leuamen
Percipiunt: ſolers mihi mens ſic carmina dictat
Liberiora volens, nec vt antea flaccida torpet,
Quin leuis aura mihi ſolito nunc clarior exit,
Cynthius & vacuum ſine nube per aëra veſtus
Mitè faces patulum liquidas diſpergit in orbem:
Atq; magis ſolito in totum radiantia mundum
Lumina diſtribuit, nobis qui mentis acumen
Excitat atq; animi ſolertis munera donat.

Ergo fluat dictans noſtræ viſ larga Camæenæ,
Dum ſibi mandatis peragent monituq; Dearum

B

Officia,

Officia, Aonidis Musis & Apolline dextro,
Ergo Ioue Ardelides genitæ meæ Numina Musæ
Aonidum dilectâq; turba nouena sororum,
Quæ mihi, sufficis vestras in carmine vires,
Quæso nectareos per roscida gramina campi
Sylvarumq; nemus mecum connectite flores:
Flora decens, Chloris quæ floribus arua coronas,
Innocuæq; Deæ nemorum secreta colentes,
Dijq; agrestres vos Fauni Satyriq; Napææ
Oreadesq; Deæ virides è montibus herbas,
Herbarumq; decus salubres adferte melissas,
Ætis & odoratu narcissos adde suaues
Atq; Chamemilon, plenis deferte canistris
Helleborum, grandes repleatq; lauendula corbes,
Impleat undantes dulcisq; euphrasia quallos,
Rufis grammiferas mentis inspergite mensas,
Pars onerent mensas, aliqua sed parte coronas
Conficiant, speciosè intertextis amarantibus,
Lilia quosq; alternatim ruta, hyssopus ornet,
Formosus folijsq; virens Chariophilus albis
Atq; rubris variatis ferta rosacea cingat,
Conficiant sponsis vna de parte Dearum,
Stellatas aliæ nectent de flore corollas,
Pluraq; sed reliquæ pingant redimicula lauris.
Nec votis excludo meis te Regia Iuno,
Qua sine nil sapiunt thalami genialia lecti,
Cuius & auspicijs sacrantur grabbata sponsis.
Ergo tuis, præsens hos quæso Saturnia proles
Sospita, & auxilijs thalamos dignabere nostros,

38
Olim sic vobis stillantia thura litabunt,
Nunquam nec cessent dignas persolvere grates.
Sacras sed quid ego vacuas diffundere in auras
Pergo preces, imitaturus commenta poetis?
Numne igitur satius veris indulgere votis
Atq; preces vni summo persolvere CHRISTO,
CHRISTO vni quæ non vt inania Numina fictis
Nominibus (præter nam ludicra nomina nil sunt)
Ore loqui nequeat surdis non auribus vllos
Præcipiatue sonos, sed cui sunt omnia nota,
Quicquid id est præsens & præteritum atq; futurum.

Ergo CHriste Deus summi de Numine Patris,
Æterno æqualis Patriq; ante omnia nate
Secula, quem penes est solum infinita potestas;
Quo sine nulla salus, rerum successus abibit
Quo sine, & vlla suis homini solertia factis,
Proderit, at suffert soles cassosq; labores:
Omnipotens sapiensq; Deus, moderator & autor
Rerum, quem precibus sacra plebs veneratur & orat.
Qui thalamos quondam non dedignatus at illos
Sacrarum præsens vndarum munere donas.
His quoq; legitimo sponsis sponsalia lecto,
Magnificis genere & generosis Heroinis
Dum celebrant sacriq; ineunt connubia pacti,
CHRISTE tuum tu largiri dignare fauorem,
Huius vt eximij fiscennia leta ferantur
Festi, seu a suis maculis nec iurgia ledant,
Donis CHriste tuis tædas dignare iugales.

At tu magne Baro simili qui nomine Christo
Dicitus es, excellens & prestans gloria terra
Finniaca, columnen matris, patriae ancora gentis,
Magne Baro eximiumq; Baronum gloria salus,
Virtute & meritis longè præstantior omni
Carminis exculti, & morum cum lumine, laude,
Quiq; tuos ducens claris magnatibus ortus,
Magnorum præcelso Heroum stemmate natus.
Nescit auos atavos etenim proavosq; tuos quis?
Quis genus & stirpem qua non generosior extat?
Quosq; suis numeris omnes mora longa referre est.
Cerne, licet, saltem generosum laude parentem,
Quo satus es, præcellentem virtute Baronem,
A populo inuictò nomen cui nobile victo:
Quodq; nec immeritò, proprijs nam nomina rebus
Consona sepe suis, tribuit natura favore
Solerti, nam præ sagax natura Deusq;
Quosq; volunt superi celsos virtute futuros,
Sæpius excelsum testatur nomen hoc ipsum.
Pacis amans hic dum licuit sed dum licuit non
Pace fruj lata, bello fortiss: heros,
Prospera de domitis victor tunc signa reduxit,
Et visum est crudo dum conflictare duello
Armifono quis Marte prior, felicior illo
Quisnam? armis hastaq; prior, quis fortior illo?
Quid? duce quo tonitru ceu hostes terrore fugati,
It fragor, extremosq; pedem consistere ad Indos
Vix ausi, quondam flammam ignemq; frementes.
Quis numeris celebres comprehendat queso triumphos,
Multo

Multo sollicitis armis & sanguine partos?
Quis studium in miseros referat quis mite leuamen?
Quis sibi perpetuo partum est durabile nomen.

At materna tibi existat quam clara propago,
Laude Baro præcellens & virtutis auitæ
Nomine præclarus, genitus clara Heroïna.
Sola vel ipsum auia excellens testatur, auitum
Gloria quam decorat, vescens vitalibus auris
Nunc quoq;, quæ plures genuit virtute Barones
Eximios clarosq; viros, occasus & ortus
Quos norant, celebrant quos laudibus auster & Eurus.
Nam quis Hogenschelium nescit, magnumq; Turonem?
Lataq; pugnacis populi victoria nomen
Cui tribuit, cunctosq; toga belliq; potentes,
Insignes pietate viros, virtute Barones
Illustres, quorum soror est, te pignora quondam
Chara gerens vlnis dedit vt vitalibus auris,
Feminei generis decus & virtutis alumna
Eximie, præstans sanctæ memorabile vitæ
Moribus exemplum decoratis omnibus vna.

Ergo tibi generose Baro qui talibus Heros,
Laude, fide, meritis, pietate, parentibus ortum
Traxeris, & cum sis magnatum stemmate natus
His quoq; te claris genitorum laudibus auctum
Quæso quis ignoret? nam non lac imagine læti,
Non ouum forma tremulo magis est simile ouo,
Quam simulis tu sis virtutis laude tuorum.
At tua quæ propria est naturæ nomine virtus
Splendida, conspicua est vt lucida lumina Phœbi

Aetherei ventosa cum sine nube coruscant,
Quis vigor ingenij, grandis prudentia, candor
Fulgens & magnis plena experientia rebus?
Quis dicet & suavis mellitæ gratia linguae,
Adde tibi sit quam excellens doctrina fidesq;
Quës tu conando longis tua nomina seclis
Tradere, perpetua texisti laude coronam.

Ipse Deus, Deus ipse tibi, tibi Catharatalem,
Sincero lecti socium deuinxit amore:
Felices nimium ô terq; quaterq; beatas,
Cum consorte tori felici sydere nuptas,
Quas non cæca Venus sceniq; Cupidinis arcus,
Sed pietatis amor virtus & splendida iunxit.
Ecquis enim tanto quis non gratetur honori
Virtutiq; suæ duplam quam nescit adeptum,
Quæso quis egregia præcelsum laude Baronem?
Qui celebris virtute sua, virtute parentum
Phæbus vt æthereis stellantia sydera flabris
Anteit, & fulget radijs vt Cypria virgo,
Is sic virtutum existens ter nobile lumen
Æternum vt sydus lucens toto orbe coruscat.

Tu quoq; virgo Baronum claro è sanguine creta,
Factum à mundicie cui castum & amabile nomen:
Quæ commune genus Sueonum cum Rege recenset,
Nympha potens & gemmiferis ornata coronis:
Matrem te quondam illustrem genuisse Sturone
Excelsa, titulos retulit qui gente vetusta
Claros, vel tuus hic splendor virtutis adumbrat,
Quem indicijs perhibent veris fulgentia signa,

Signa bonis animi plenam referentia mentem.

Matremque te quondam generosa SIGRIDE natam
(Ortus quæ Comitum excelsa de stemmate traxit)

Testis sancta fides, candor gravitasque pudorque,
Castaque cum castis studiosa modestia rebus,
Quæ tu Nympha decens fulges ceu Sydis Olympo.

Te primum gremio pietas excepit, adultam

Erudijt sacra religio, mox aurea Iuno

Et Pallas Charitumque chorus placidissimus illam

Certatim excoluere suis fausto omine donis,

Donis Christe tuis tædas dignare iugales.

Ipse Deus, Deus ipse tibi CHRISTIANE Ba

Heroumque virum decus incredibile, donans (ronu

Contulit egregiam diuino munere Nympham,

Nympham animo formaque potentem et stirpis auita

Laudibus eximiam: blandis tibi sidera fulgent

Auspicijs solitoque magis tibi risit Apollo,

Quin etiam præter solitum annuit aurea Pallas,

Clarius et multo resplenduit Phæbus Olympo

Astriferus, Charitumque chorus, tibi Cypria virgo

Igneæ concinnans mutuis præcordia flammis,

Et fauet auricomis redimitus tempora fertis,

Coniugij veneranda cui sacra sunt, pater Hymen:

Tresque Deæ mites æqua bonitate sorores

Omnes vnanimi iungentes munera mente,

Tædarumque tibi faciles sacra festa coronant.

Donis Christe tuis tædas dignare iugales.

Hæc mea dum teneræ modulantur blanda Camæna

Numina, dumque parant tædis modulamina versu,

Ecce

Ecce aderat coram præstanti corpore Nympha,
Nympha decens niueas mollis cui purpura pingit
Mitè genas, cuius Scitula præstantia formæ
Emicat excellens, taceo quæ gratia vultus,
Quantus honos grauitatiq; aurea iuncta venustus,
Cuius (vix qualis multis è millibus vna)
Candidulis certant radiantia lumina stellis.

Hæc te ni fallor repetit pulcherrima Nympha,
Nympharumq; decus precibusq; vrgentibus instat,
Affectat votisq; suis amplexibus optat.
Suauibus ô tibi quàm præbet mellita labellis
Bastia, teq; suis cupide dum brachia pandens
Lactea, molliculis flagrans desiderat vlnis
Excipere, & roseis coniunctisserta coronis
Laurea, concinnans nitida tibi pollice neclia.
O te quot dictis vocat intemerata facietis,
Atq; iterans lepidas poscit virguncula voces
Fulgida, floridulisq; choris circumdata clarum
Grande suum gestit decus exceptura Baronem.

Ergo Baro excellens dum virginis ora tenella,
Te vocitent, thalamiq; tibi penetralia pandant,
Sis facilis placidisq; suis nec rennue dictis,
Sis facilis blandisq; suis nunc annue votis.
Nostraq; non te interturbent iam carmina, namq;
Huic morem vt gereres (facis vt) precibusq; faueres
Æquum est teq; suis Venus alma irritamentis
Excitat, accersit, meritis vocat, ignibus vrget.

THEODORICVS PETRI
NYLANDENSIS.